

# **Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

## **Icones sive imagines virorum literis illustrium**

**Reusner, Nikolaus**

**Argentorati, 1587**

Ioannes Marbachivs

[urn:nbn:de:bsz:31-271751](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-271751)

IOANNES MARBACHIVS  
Theologus.



*Isna prius, dein Argentina pependit ab ore  
Clara meo: nouit cetera Teuto potens.*

M. D. **XXL**CI.

z p

IOANNES MARBACHIVS LIN-  
daviae, vrbe imperiali, natus anno  
M. D. XXI:

Post prima doctrinae fundamenta fideliter  
iacta in patria,

Argentinae primò, ac dein Vitebergae diuinis  
& humanis eruditus literis:

Iena Ecclesiae annuum non amplius vnum;  
Sacrae Theologiae mox Doctor designatus, à Mart.  
Luthero, Antichristi domitore;

Isaiae per biennium Antistes, Ecclesiae  
Euangelicae:

Argentinae de caeterò Pastoris ac Praesidis fun-  
ctus munere per annos XXXVI.

Academiae praeterea Professor, & Ephorus  
Perpetuus;

Collegij demum Thomani Decanus  
dignissimus;

Colloquijs de Religione Tridenti &  
Vvormaciae adhibitus;

Reformandae Scholae & Ecclesiae à Princ. EL.  
Palatinis identidem expetitus;

Pietate, integritate, fide, virtute, sapientia, hu-  
manitate excellens;

Moritur Argentinae anno Sal. M. D. XXCI.  
Aet. LX. XVII. Martij.

IN

IN IOANNEM MARBACHIVM

Theologum.

ABRAHAMI SCHVARZII

Alemani.

*Sic frontem, sic vitta tuli Marbachius ora,  
Præco Dei sanctissimus.*

*Charus eram diuo Luthero, acriq; Philippo,  
Sacra quos docentes audij.*

*A quibus Argyream perueni missus in urbem,  
Ad iussa docendum cœlica:*

*Quod summâ, speretis heroo corde periclis,  
Fide ac pietate præstiti.*

*Templa scholæq; meo florent purgata labore,  
Et institutis optimis.*

*Qui Christo multos adducunt, sidera tanquàm  
Cœli micabunt ignea.*

IOANNIS PAPPI.

*Doctorem puræ fidei, magniq; Lutheri  
Discipulum, in signem religionis virum:*

*Argentina diu fuit admirata docentem:  
Diuino afflatum numine Marbachium.*

*Nunc dolet extinctû mœsta, absentemq; requirit:  
Sublatumq; videt charius esse bonum.*

*Impiger ille Dei verbum cum laude fideq;  
Aedibus in sacris tradidit, inq; scholis.*

*Illius officio simul hinc Ecclesia Christi  
Creuit, & intactæ religionis amor.*

Obstitit his, Domini qui clam vinea reuellunt:  
Quiq; Deum violant, & noua sacra mouent:  
Pastoresq; gregi sacro multosq; bonosq;  
Instructos magna sedulitate dedit.  
Ergo, qui perijt, vivit: quia nomen in orbe  
Viuat, & in caelis gaudia viuata capit.

STEPHANI BERCHTOLDI,

Quae subito tenebrae, noctis quae nubila surgunt?  
Fauce fremunt rabidi cur vluante lupi?  
Lux extincta iacet: Pastor secessit Olympum:  
Ingruit hinc fera nox: vastat ouile lupus.  
Cur lux interijt? cur Pastor adiuit Olympum?  
Mundus amat rabiem: nubila mundus amat.  
Certè (nec fallor) tempestas imminet vrbi:  
Christi adumq; gregem multa pericla manent.  
Nempe Deus sanctos vbi poscit ad aethera vates:  
Vastat ouile lupus: lux quoque sacra perit.  
Fulcra ruunt stabuli: pastor secessit Olympum:  
Ergo Christe tui iam miserere gregis.

N. REVSNERI.

Septima post decimam Martis lux tristis oborta,  
Mabachi luctum dat, lacrymasque pijs.  
Te schola, te multis Ecclesia praeside lustris  
Floruit: & didicit dogmata pura Dei.  
Te moriente, fides moritur: fraus regnat in orbe:  
Impietas & habet pro pietate locum.

IOAN-